

Friedrich Habersack Johann Reutze

Disputatio Logica De Sophisticis Elenchis

Rostochi[i]: Sax, 1614

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729137589>

Druck Freier  Zugang



Fr. Habersack.
R. N. phil. 1614.

DISPUTATIO LOGICA
DE
SOPHISTICIS
ELENCHIS

quam

Divina favente gratiâ

*in celeberrimâ Principum Megapolensium
Academiâ*

PRÆSIDE

M. FRIDERICO HABERSACK Lippiensi,

defendere conabitur

JOHANNES REUTZE Rostochiensis.

Ad diem 14. Septemb: horis & loco solitis.



ROSTOCHI

PER MAURITIUM SAXONEM, ANNO M. DC. XIV.



*Admodum Reverendis, Nobilissimis, prosapia splendidi-
 dissimis, antiqua virtute praestantissimis, multarumq; rerum
 usuedoctis. & eminentissimis*

VIRIS.

Dn. THEODORO Winterfeldt.	[Capituli Sver- nensis.]	PRÆPOSITO
Dn. OTTONI von Estorff.		DECANO
Dn. NICOLAO von der Lühe.		SENIORI
Dn. VLTRICO Wackerbarde.		CANONICO

*Dominis Mecœnatibus, ac Pa-
 tronis suis æternum honorandis.*

S. P.

M*Vnere dant alijs alijs sua thura Sa-
 baus*

Mittit, & auras decolor Indus opes.

Sic cui divitias minimè fortuna negavit

Munera munificè dat pretiosa manu.

Musarum verò doctus me præses Apollo,

Apta meis studijs munera ferre jubet.

Hoc levidens igitur vos munere dono:

dicoq;

Prælustri insignes nobilitate VIRI,

*Hæc tæses vobis, quas qui bene nove-
 rit, hostes*

*Vincere, non diro Marte, sed Arte
 queat.*

*Splendidus forsan dabit hic, dabit unus
 & alter;*

Pectore sed nemo candidiore dabit.

*Vos, quoadcumq; datur, vultusq; & fronte
 serenâ*

Accipite, & studijs, quaeso, favete meis.



N. N. V. V.

Observantis. Cliens

IOHANNES REUTZE

Resp.

FOI M. ASTILM. CAZONIK. V. 1800. M. 10. 11. 12.

DISPUTATIO
DE
ELENCHIS SOPHISTICIS.
THESIS I.

ULEMADMODUM aurifabri summa cura est, ut non tantum verum aurum cognoscat, sed etiam ut illud ab eo quod splendorem & speciem veri auri habet discernere sciat, Ita etiam Logici est, non tantum novisse structuram Syllogismi veri, sed etiam eundem discernere posse ab eo, qui speciem veri præ se fert.

2. Quo ipso satis apparet, errare Rameos dum hanc doctrinam de Elenchis Sophisticis in Logicis supervacaneam esse arbitrantur. Quem errorem sic redarguo. 1. Contrariorum eadem est scientia. At revera probabilia, & φαινόμενα talia, sunt contraria. Ergo eorundem eadem scientia. 2. Si ut rerum naturalium quædam revera tales sunt quales esse videntur, quædam vero tantum videntur, ita quoque Syllogismorum: sequitur quod de Syllogismo Sophistico sit agendum in Logicis, ne quis Syllogismum falsum speciem tamen veri habentem pro vero apprehendat. 3. Sine quo Logicus perfectus esse nequit, illud in Logica non tantum utile, sed etiam necessarium est, Sine Sophistica Logicus nequit esse perfectus. Ergo Sophistica tractatio in Logica non tantum utilis est, sed etiam necessaria.

3. Excipiunt nonnulli, contrariorum uno cognito, etiam cognoscitur alterum? *Vel ut Sturcus anat. Log. Ar: p. 813.* eadem hæc hæc forma proponit. Quibus præceptis

axiomatum veritas, Syllogismorum consequentia, & methodi ordo docetur, iisdem quoq; axiomatum error, parasyllogismorum inconsequentia, rerumq; confusio ostenditur. At præceptis de axiomatibus, Syllogismo, Methodo, hæc omnia docentur. Ergo. *Æ.* ad maiorem per limitationem, contrariorum uno cognito cognoscitur etiam alterum, cognitione videlicet confusa, sed non distincta: & propterea qui novit Syllogismum verum, novit & falsum, secus vero si falsus speciem veri præ se ferat. Quin 2. argumentor eodem modo: Contrariorum uno cognito etiam cognoscitur alterum. At similia & dissimilia, consentanea & dissentanea, majora & minora sunt contraria, ait ipse *Sluterus Anat: Log: Ar: p. 232.* Ergo eorum uno cognito cognoscitur etiam alterum & sic dissentanea, dissimilia, minora vel horum contraria in Logicis erunt supervacanea. Cum ergo constet de Syllogismo Sophistico esse agendum in Logicis, ulterius disquiritur, an hæc doctrina constituat partem essentialem Logicæ, vel secus? Sunt qui pro parte essentiali Logicæ venditant, qui videlicet Logicam dividunt in Apodicticam, Topicam & Sophisticam. Sunt qui non partem sed appendicem saltem Logicæ, & quidem doctrinæ de Syllogismo, hanc doctrinam esse volunt, cujus sententiæ est *Gregorius Horstius instit: Log: p. ult:* secutus nimirum ut scribit, Clarissimum Philosophum *Cornelium Martini:* quam sententiam etiam nos tuebimur.

4. Est autem Syllogismus Sophisticus; Syllogismus fallax, qui vel concludit ex ijs, quæ videntur probabilia & non sunt vel ex probabilibus, iisve, quæ videntur probabilia concludere videtur, nec concludit deceptionis & ostentationis gratia.

5. Generis loco ponitur Syllogismus, Sophista enim ut facilius fallere possit, sæpissimè Syllogismi formam integram

tegram

tegram retinet, & licet sæpius etiam in forma vitium sit, dicitur tamen Syllogismus, æquivoce videlicet, ut oculus in macello venditus, oculi nomen retinet.

6. Materia Syllogismi Sophistici in qua (materiam enim ex qua non habet, quia est accidens, licet non desint, qui tres propositiones materiam ex qua hujus Syllogismi esse velint, quod dextrè explicandum) in definitione assignatur vel *ὁντοῦς* vel *φανομένους* probabilis, illa, si vitium in forma, hæc, si formâ integrâ existente in materia, fuerit.

7. Fines Sophistarum Philosophus *L. 1. Elench: C. 1.* recenset 5. redargutionem, falsum, *παροδοξον*, solæcismum & rugationem, qui omnes ad duos illos fines, in definitione assignatos deceptionem videlicet, & ostentationem referri possunt, de quibus, qui velit videat *Regium L. 5. disp. Log: C. 10. Cramerum in Synopsi organi Aristotelici p: 492.* & alios.

8. Loci Sophistici, ex quibus medius terminus Syllogismi Sophistici desumitur, sunt tredecim, iiq; vel in dictione, vel extra dictionem.

9. In dictione sunt ii, qui causam apparentiæ ex dictionibus obtinent, ac decipiunt eum qui eorum naturam ac significationem non novit, suntq; sex, Æquivocatio, amphibolia, compositio, divisio, accentus, & figura dictionis.

10. Æquivocatio seu homonymia est locus Sophisticus, qui medium terminum homonymum suppeditat. Hinc quot dantur æquivocationis species, tot etiam dantur ejus fallaciæ, dantur autem æquivocationis species tres. 1. quando vox una plura ex æquo significat (& dicitur æquivocum casu) ut Canis est animal quadrupes. Quoddam sidus cæleste est Canis. Ergo quoddam sidus cæleste est animal quadrupes. &c. 2. quando vox una

plura significat, sed ita ut uni magis, alteri minus conveniat, (diciturq; æquivocum consilio aliàs analogum) ut Quod ridet est homo. Pratum ridet. Ergo pratum est homo. &c. 3. modus est improprie quodammodo, & fit in dictionibus, quæ quidem actu plura non significant per se, sed tamen propter compositionem, pro pluribus sumi possunt: vel ut clarius alii definiunt: quando una vox ex varia temporis, numeri, generis, & similium mutatione plura significat. Ut: Quicumq; surrexit, stat, sedens surrexit. Ergo sedens stat. Hic vox sedens in minore est temporis imperfecti, in conclusione temporis præsentis, & sic æquivoca. Hanc fallaciam æquivocationis committunt Photiniani, cum ex voce generationis & similibus quæ Deo cum creaturis communia sunt probare volunt, filium Dei esse in tempore genitum. Eandem fallaciam committunt Pontificii, cum probaturi, sacram scripturam esse imperfectam: traditionesq; non scriptas supplere imperfectam, adducunt loca scripturæ ubi mentio fit traditionum; cum tamen iis in locis nihil minùs intelligatur, quam istiusmodi traditiones, quas Pontificii intelligunt, quæ videlicet in sacris nec aperte exprimantur, nec evidenter deducantur.

II. Amphibolia est quæ sermonis ambiguitate decipit: eoq; ab æquivocatione differt, quod æquivocatio ut plurimum fit in singulis vocibus, amphibolia in conjunctis. Committitur autem tripliciter. 1. si una oratio plura significet, manente eadem constructione: ut, hic liber est Aristotelis, id est, habet auctorem Aristotelem, vel possidetur ab Aristotele. 2. si una oratio plura significet ob mutuam constructionem, ut, qui in Christo moriuntur, sunt Domini, ubi vox Domini, & nominativi pluralis, & genitivi singularis casus esse potest. Tale Sophisma

phifina committunt Calviniani, cum ex Act: 3. v. 21, argumentantur: Christum oportet cælum capere, seu ut illi explicant cælo capi, Ergo non est præfens in terra. Cum tamen *dex. eod. ai* sit verbum medium, & hic non passivè sumatur, ut sensus sit, Christus capiet cælum, non: cælum capiet Christum. 3. si oratio plura, unum tamen principaliter, alterum minus principaliter significet, ut, Qui lictus arat, ille frustra agit. Qui lictus arat, terram aratro scindit. Ergo qui terram aratro scindit, frustra agit. Hanc fallaciam committere ait *Keckermannus Syst; Log: p: 556.* nostros Theologos, dum ex loco Ephes: 4. v. 8. sic eos argumentari scribit: Christus ascendit in cælum, ut impleret omnia. Ergo ejus corpus ubiq; est diffusum. Verum Keckermannus cum acre luctatur, dum fingit argumentum, quod nostris ne quidem in mentem venit. In forma sua legitima propositum est tale. Quicumq; ascendit longè supra omnes cælos, ut impleret omnia, is ubiq; præfens dominatur, (implere enim omnia non significat hic implere scripturâ, vel implere donis, sicuti demonstravit *Hunnus in Epist: ad Epò: super hunc locum, & alij*) At Christus secundum humanam naturam ascendit longè supra omnes cælos. Ergo & secundum humanam naturam ubiq; præfens dominatur.

12. Fallacia compositionis & divisionis est, quando ex compositione eorum, quæ componenda non erant, & vicissim, quando ex divisione, eorum, quæ dividenda non erant, deceptio oritur. Coniunguntur hi duo loci elenchorum Sophisticorum, quoniam se mutuo respiciunt, & unum per aliud melius cognoscitur: prioris exemplum esto tritum illud. Qui vivit jam, natus est. Homo quinquagenarius vivit. Ergo jam natus est. Hic à bene divis, fit progressus ad malè conjuncta

juncta: posterioris exemplum fit hoc: Apostoli Christi fuerunt duodecim. Petrus & Paulus fuerunt Apostoli Christi. Ergo Petrus & Paulus fuerunt duodecim: hic à bene conjunctis ad male divisum fit progressus.

13. Fallacia accentus est, quando deceptio oritur, ex voce diversimodè prolata: id quod fit multis modis: 1. in compositione vocis. 2. in spiritu, seu diversitate aspirationis, ut si in argumentatione, confundantur ara & hara. 3. in littera, quando vocales cum diphthongis confunduntur. 4. in quantitate: quando syllabæ brevès & longæ confunduntur. 5. in gestu orationis, vel diversitate pronunciationis, vel ironica, vel seria, vel interrogatoria, vel assertoria. Exempla vide, apud Barcolinum L. 3. part: prop: p: 442.

14. Fallacia figuræ dictionis est, quando oritur deceptio ex similitudine dictionum inter se; quales censentur, tum quæ eodem modo desinunt, tum quæ sæpius idem significant. Id quod fit tribus modis 1. cum diversis vocibus, propter similitudinem eadem affectio grammatica tribuitur. ut, Musa est generis fœmininæ. Ergo & Poëta. 2. cum propter similitudinem diversarum categoriarum, voces ad eandem referuntur, vel cum una propositio loquitur de uno prædicamento, altera de altero: ut quos digitos habuisti puer, etiam nunc habes. Sed puer tenellos habuisti digitos. Ergo & adultus tales habes. 3. cum dictio quæ videtur significare rem singularem, significat universalem, vel contra, ut animal est genus. Homo est animal. Ergo homo est genus.

15. Hæc dicta sint de locis Sophisticis, vel fallacijs in dictione, sequuntur quæ extra dictionem in rebus ipsis. Suntq; numero septem; Fallacia accidentis, à dicto

dicto secundum quid ad dictum simpliciter, secundum non causam ut causam, ignorationis elenchi, petitionis principii, consequentis, & secundum plures interrogationes.

16. Fallacia accidentis est, quando rei alicui per se tribuitur id, quod eidem per accidens convenit. Committitur autem potissimum tribus modis: 1. quando peccatur in aliquam regulam Syllogisticæ structuræ: Verum hic modus propriè non est huius loci. 2. quando mutatur genus prædicationis, vel usitatum in inusitatum, vel reale in technicum, vel contra, ut Caro est corruptibilis. *aliquid est factus caro.* Ergo factus est corruptibilis. 3. quando à divisis ad conjuncta vel à coniunctis ad divisa fit progressus. *Uille est claudus, & est futor, ergo est claudus futor.*

17. Fallacia à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter est, qua id, quod ex parte, & secundum quid solum verum est, ita accipitur, ac si in totum & simpliciter verum esset. Tale Sophisma committunt Pontificii, cum sic argumentantur: Antiquissimum est verissimum. Religio Pontificiorum est antiquissima. Ergo verissima. In quo argumento licet minor sit, falsissima, maior tamen non nisi secundum quid est vera, quatenus videlicet antiquum cum veritate convenit. Tale est Sophisma Arianorum: Qui est minor patre, is non est æqualis patri. At Christus est minor patre. Ergo non est æqualis patri. Major enim non est absolute accipienda de utraq; natura, sed de humana tantum &c.

18. Fallacia ignorationis elenchi est Sophisma, quod ad aliquem redarguendum proponitur, nihil tamen arguit, & committitur duobus modis: 1. quando

B

mutatur

mutatur status controversiæ. 2. quando conclusio adversarij, non directè opponitur thesi, juxta leges oppositionis. Hoc vitium committunt Pontificii, cum probaturi, sacram scripturam esse obscuram, adducunt loca difficilia intellectu, quod in quæstione non est, sed hoc: an S. scriptura, in iis cåpitibus quæ salutem nostram concernunt, sit obscura, quod hætenus ab iis nondum probatum.

19. Fallacia petitionis principii est, quando idem per idem, aut ignotum per æquè ignotum probatur. Idq; fit tot modis, (ut alios mittam) quot dantur modi prædicationum identicarum, ut 1. cum idem per idem, iisdem vocibus probatur, quod cum nugatorium plane sit, non facile eius generis exempla occurrunt. 2. quando idem per idem vocibus distinctis, seu quando synonymum per synonymum probatur, ut gladius est instrumentum defensorium, quia ensis est tale instrumentum. 3. quando definitum probatur per definitionem, ut si quis probare vellet, mundum esse æternum, quia non habeat principium.

20. Fallacia consequentis est deceptio, proveniens ex apparentia consequentiæ conversæ, quæ tamen non convertitur; quod fit quatuor modis, quos vide apud *Regium L. 4. disp: Log: probl: 10. p. 910.*

21. Fallacia secundum non causam ut causam, est deceptio, quando rei alicuius causa, affertur, quæ vel non est propria, vel non sufficiens, ad probandum propositum. Ut Ebrietas est mala. Ergo & Vinum. Philosophi excitant hæreses in Ecclesia. Ergo & Philosophia.

22. Fallacia secundum plures interrogationes, est quando plures quæstiones proponuntur ut una, ut ita

Sophi-

Sophista respondentem sive affirmative, sive negative respondeat, capiat. Quæ fallacia tum, potissimum, committitur, quando in conclusione est vox ambigua. Propositio enim ambigua non est una, sed multiplex: ut enim unitas vocis, ita & propositionis pendet ab unitate significationis. Sic si quis quærat an cælum habeat materiam eandem cum sublunaribus, & utrum idem corruptioni sit obnoxium: committit vitium plarium interrogationum, quia alia quæstio est an cælum habeat materiam eandem cum sublunaribus, alia an sit corruptioni obnoxium.

23. Cognitis ergo jam modis, quibus Sophismata, committi possunt, superest ut etiam cognoscamus, quomodo sint dissolvenda.

24. Solutio vero duplex est, alia directa, alia indirecta. Directa est quando ad argumentum directe respondetur, vitiumq; ostenditur vel in forma, vel in materia. Si in forma vitium, ostendendum in quam regulam Sylogisticam vel generalem vel specialem Syllogismus impingat. Si in materia vitium, est: tollendum hoc vel per concessionem, vel per distinctionem, vel per inficiationem. Concessio est, quando vel alterutram, vel utramq; præmissarum, vel totum argumentum adversario concedimus: habetq; locum, vel maximè in, ignoratione, elenchi, quando ostenditur, mutari statum controversiæ, vel conclusionem, adversarii non, contradicere, thesi. Inficiatio est, quando vel alterutram, vel utramq; præmissarum, vel etiam connexionem præmissarum cum conclusione negamus: habet locum, cum petitur principium, vel cum committitur elenchus secundum non causam, ut causam. Distinctio est, quando varias vel vocis, vel propositionis ambiguitates ostendimus. Usus ejus est

est in singulis fallaciis quæ committuntur in dictione, etiam in quibusdam extra dictionem.

25. Addunt alii alios modos solvendi sophismata, ut limitationem & instantiam. Verum limitatio ad distinctionem refertur, cum enim voces ambiguae distinguuntur, & ad propositum accommodantur, fit hoc per limitationem. Modus solvendi per instantiam, per se infirmus est, nisi vel antecedit, vel sequatur sufficientem, responsionem.

26. Indirecta responsio fit quinque modis. 1. per inversionem, cum ostendimus argumentum adversarii pro nobis facere. 2. per fortioris argumenti obiectionem. Hoc modo respondendi utitur Paulus Ro: 6. v. 2. cum respondet ad objectionem, v. i. propositam, (si aucto peccato, augeatur gratia Dei, Ergo permanendum in peccatis) hoc modo. Qui mortuus est peccato, is non servit eidem. At nos mortui sumus peccato. Ergo eidem servire non debemus. 3. per comparisonem, cum simili absurdo. 4. per ostensionem contradictionis in sententia adversarii: hoc modo recte responsum est *Samueli Hubero* contendenti electionem esse universalem: contradictionem sapere, esse electionem, & simul universalem. 5. per oppositionem paræ aut, maioris auctoritatis.

27. Hinc antequam abeamus, coronidis loco hoc adijcere placet, an rectè negetur consequentia in syllogismo si vitium non sit in forma? Pontificiis, hic respondendi modus solemnis est & sacer. Negamus nos, idque hoc fundamento: Si præmissæ sunt causæ conclusionis seu consequentiæ, sequitur quod consequentia talis sit, quales ipsæ præmissæ. At præmissæ sunt

sunt causæ conclusionis. Ergo qualis hæc, tales & illæ. Si vera, & præmissæ tales. sin falsa, falsæ quoq; præmissæ. Quod si fit ad præmissas respondendum non ad consequentiam.

Corollaria Logica

1. *Queritur, An in prima figura minor aliquando possit esse negata? N.*

In contrarium solent obijci exempla, ut: Qui non est ex Deo, non audit Verbum Dei. Judæi non sunt ex Deo. Ergo &c. Qui non est mecum is est contra me. Judæi non sunt mecum. Ergo &c. Verum rectè respondetur, in his & similibus exemplis minorem non esse negatam, sed infinitam affirmantem. Quam responsionem, est non nemo, qui infringit hoc argumento, Propositio negativa est, quando negatio fertur supra copulam. Infinita vero quando fertur super subjectum, vel super nomen prædicati, intactâ copulâ. At cum dico, Judæi non audiunt verbum Dei &c. negatio fertur super copulam. Ergo hæc & similes propositiones non sunt infinitæ, sed negatæ. Contra. 1. Tum minor in prima figura est negata, quando copula aliunde accersitur. At in dictis exemplis, copula non aliunde, sed è maiori assumitur. E. 2. Si ex Syllogismis prima figura,

in quibus minor videtur esse negata, sequitur conclusio affirmans, minor revera negata non erit, sed affirmans infinita. Conclusio enim semper sequitur partem debiliorem. At prius verum, ut patet ex his exemplis. Quaecunq; stella non scintillat, propè est. Planeta non scintillant, Ergo propè sunt. Qui non colligit cum Deo, dissipat. Improbi non colligunt cum Deo. Ergo dissipant. Obiectum argumentum quod attinet, in eo committitur ignoratio elenchi. Quæritur enim, an in Syllogismis prima figura minor possit esse negata? Argumentum autem obiectum concludit de minore extra Syllogismum & per se considerata, de quo non est questio.

2. Quæritur, an planè vitiosi sint isti tertiæ figuræ syllogismi, in quibus totum minoris predicatum in conclusione non repetitur? N. Rationes si quis habere velit, ille consulat D. Meisnerum parte 1. sobr; Phila Sect: 1. C. 6. Q. 1.
3. Quæritur an Syllogismum tertiæ figuræ rectè Ramus appellet contractum? N. Rationes damus hæc,
 1. Quia definitio syllogismi, etiã ab ipso Ramo tradita, ei non convenit, quippe non habet talem dispositionem questionis cum argumento tertio, ut posito antecedente necessario concludatur.
 2. quia non semper contrahitur, sed sæpius integrè dispositus & explicatus in probatis auctoribus reperitur: quod à Goclenio & aliis

aliis probatum. Quin nulla ratione sequitur. Syllogismi tertia figura apud classicos auctores reperiuntur in forma contracta. Ergo sunt syllogismi contracti. Eodem enim modo argumentor. Syllogismi prima, vel secunda figura Aristotelica saepius mutilate reperiuntur apud probatos auctores, dum aliqua pars omittitur. Ergo syllogismi prima & secunda figura sunt syllogismi mutilati. Imo in nullo ferè probato auctore syllogismi integrè & ordine dispositi reperiuntur, ita ut maior precedat, sequatur minor, & ultimo loco ponatur conclusio. Ergone hinc concludendum, syllogismorum doctrinam eo ordine in Logicis tradendam? ridicule!

Physica.

1. Cælum est materiatum. Non tamen ejusdem materiae cum sublunaribus.
2. Cælum non movetur ab intelligentiis.

Metaphysica.

1. Bonum convertitur cum omni ente.

Vnum,


2. *Unum, verum, bonum ἀνάλογως dicuntur de ente.*

Ethica.

1. *Non pugnat cum libertate, esse subjectum legibus.*
2. *Verecundia non convenit omni aetati.*



Metaphysica.




aliis probatum. Quin nulla ratione,
logismi tertia figura apud classicos aucto-
tur in forma contracta. Ergo sunt syl-
logismi. Eodem enim modo argumentor.
ma, vel secunda figura Aristotelica sa-
reperiuntur apud probatos auctores, du-
omittitur. Ergo syllogismi prima & tertia
sunt syllogismi mutilati. Immo in nu-
auctore syllogismi integrè & ordine distri-
tur, ita ut maior precedat, sequatur mi-
no loco ponatur conclusio. Ergone hi-
dum, syllogismorum doctrinam eo ore
tradendam? ridicule!

Physica.

1. Calum est materiatum. Non tamen e-
ria cum sublunaribus.
2. Calum non movetur ab intelligentiis.

Metaphysica

1. Bonum convertitur cum omni ente.



the scale towards document